

Introductio in notionem et problema methodi.

Quaestio
Seriatio quaestionum
Responsorum ordinatio
Seriatio ordinationum
Criterion ordinationis novae
Problema fundamenti
Problema historicitatis
Problema khasmatis.

Quaestio

1. Existit quaestio ubi adesse videntur rationes cogentes tam ad affirmandam quam ad negandam unam eandemque propositionem.

Unde concludes: non esse quaestionem ubi non de eadem propositione agitur rationes in unam tantummodo partem mentem inclinant, vel in neutram rationes non sunt seriae, cogentes.

2. Ita definitur quaestio apud Gilbertum Porreta et alios cf M J Congar DTC 29 371

3. Colligebantur quaestiones cum rationibus oppositis:
Gratianus, Decretum ¹¹⁵⁹
Abaelardus, Sic et Non 176, 1339-1610

4. Technica quaestionis perspicitur in articulis S. Thomae:
Videtur quod non
Sed contra
Respondeo. Dicendum
Ad primum

In summo punctum schematici et adhibetur technica quaest. Sic in summo elicit:
Cf. In II Sent., 28, q. 1, a. 2; De Ver., q. 24, a. 12.
Gratia operans, Theol Stud., 1941-42.

5. Quaestiones sine technica inde ab initiis ecclesiae; e.g.,
an sint duo dei?
Iust., Dial 58
Tert., adv. Prax
Hipp., contra haeresin Noeti
Orig, In Ioan., II, 2
Novatianus, De trin., cap ult
Dion. Rom., DB 48-51
Arius, Opitz, Athanasius Werke, Urkunde
Euseb. Caes., De eccl. theol.
conciliabula ariana vel minus orthodoxa, Hahn

6. Quinam sit nexus inter quaestiones mediaevales et fontes revelationis.

Non clare apparet: reformatores, Baianistae, Iansenistae, murmurantes contra scholasticismum

Re vera ~~est~~ existit: si quis ex qq mediaevalibus ~~ascendit~~ ad fontes SScr et PP investigatione historica ascendit
Grat Operans, 1941

De seriatione quaestionum.

1. Primo modo. ^{Soluta} ~~Posita~~, una quaestione, oritur alia.

Ita postquam divinitas Christi fuit definita, quaerebatur
utrum etiam Spiritus sanctus fuerit Deus
utrum Xtus re vera fuerit homo
utrum habuerit duas naturas, duas voluntates, duas operationes,
utrum ^{una} unica persona fuerit divina; utrum SpSs a Filio procedat

2. Altero modo. Relecta et ^{quedam} damnata ~~una~~ haeresi, sub alia
forma resurgit.

Pelagiani: sicut Stoici, a diis petitur non virtus sed fortuna
si existit gratia, saltem non est necessaria ^{vel necess. ne peccatis possit}
si gratia necessaria est, consistit in lege, in cognitione legis,
in natura, in libero arbitrio, in remissione peccatorum
si ad bonum opus necessaria, homini datur secundum merita
si praevent gratia opera bona, datur secundum merita bonae voluntatis
si interdum ipsam bonam voluntatem praevent, interdum a bona
voluntate praeventur.

3. Tertio modo. Relecta haeresi, in oppositam confugitur

Si necessaria est gratia, non existit libertas
Si necessaria est gratia, saltem superiores subditos
cogrigere et castigare non debent.

Aug., De Gratia et Libero Arbitrio, De correptione et gratia

Protestantes negant organizationem ecclesiae externam
et iuridicam, sacerdotium, missae sacrificium, sacramenta
Catholici ita in his insistunt ut vitam interiorem
minus colant. Liberales-Modernistae studiis biblicis, hist incumb

4. Quarto modo. Clarissime excluduntur omnes haereses cum
omnibus suis variationibus. Pariter excluduntur errores e
diametro oppositi.

Sed exclusio fit scdm Mt ⁵ 37: Sit sermo vester est, est;
non, non; quod enim abundantius est, a malo est
Et scdm 1 Cor 8 1: scientia inflat (n̄ gv̄sis phusioi)

S. A nselmus, Tract de Concord Praescientiae, 11, ML 158 522
Aquinas, Quodl IV, 18
Vaticanum, DB 1786, 1800

Auctoritas ~~in~~ quaestionem facti dirimit: sunt rationes
in utramque partem; sed creditur quatenam sit pars vera, quatenam falsa
Fide certissima creditur; sed manent difficultates
Fides quaerit intellectum, solutionem rationum

Unde maximus labor clarificationum, definitionum, investi-
gationis eorum quae supponuntur consequuntur

De responsis ordinandis.

1. Quo magis sese extendit quaestionum seriatio, eo magis exigitur responsorum ordinatio.

2. Ordinatio in primis est 'logica' ubi invenitur technica derivationis terminorum (definitio) et propositionum (deductio) unde distingui possunt tam termini quam propositiones primitivae et derivatae.

et concipi potest systema seu virtualis quaedam propositionum totalitas quae mediante ~~technica~~ technica derivationis sage sola per primitiva determinatur.

NB. Euclides

3. Cohaerens est systema quod non continet KpNp.

Cum 'systema' in genere non sit nisi ideale, datur motus ad ideale attingendum; qui motus in primis regitur per principium contradictionis; unde habetur dialectica quaedam interior.

NB Euclides ad systema formandum non pervenit; eumque non pervenisse usque ad tempora recentiora ignoratum est.

4. Sensus realis habetur in systemate ubi determinari potest ~~mixta~~ quid realiter intercedat inter p et Np.

Unde semantica, metaphysica: distinctio inter entia realia et rationis, inter distinctiones reales et rationis; et harum ad omnia applicatio systematica.

NB: MJCongar tria stadia evolutionis mediaevalis distinguit: sub regimine grammaticae, ab Alcuino, DTC 29 360 ss.

sub regimine dialecticae, ab Abaelardo, 364 ss.

sub regimine metaphysicae, 374 ss [init Gul Altiss, PhilCan; Abl, Aq]

5. Aequivalentia sunt systemata quae eandem propositionum totalitatem diversimode ordinant.

applicativum.

Quod maxime respicit valorem scientificum, systematicum. Incipitur enim ex prioribus quoad nos (via inventionis, resolutionis) ut perveniatur ad priora quoad se.

Unde incipitur iterum ex prioribus quoad se (via doctrinae, compositionis) ut redeatur ad priora quoad nos.

NB S. Thomas in C. Gent concludit ad revelata (Hinc est quod dicitur..; visio beata (III 25-63) necessitas gratiae III 147 s

Summa tota est in ordine doctrinae (I qq 27-43)

Unde concludit: dari punctum inflexionis; dari principia proprie theologica (non ex revelatis vel ex philosophiaⁿ); erroneam esse methodum Ioan a STh (DTC 29 418-21)

Assumptio
non formalis
non de conceptibus
in se
sed de terminis
propositionibus
sicut nullus
linguam clava
doctus intelligit

Evangelio, Philosophia
24 40 337 ff

De seriatione ordinationum.

1. Sicut soluta una quaestione, oritur alia; ita soluta quaestionum serie, oriuntur quaestiones ulteriores.

C Gent III 48 §12.

DB 1800

AAS 42(1950), 568: verbum Dei scriptum et traditum 'tot tantosque continet thesauros veritatis, ut numquam reapse exhauriatur' 'sacrorum fontium studio sacrae disciplinae semper iuvenescunt'

Ratio ulnosa: et plura additum

2. Sicut prioribus quaestionibus responsum est, ita etiam posterioribus respondendum erit; et sicut priora responsa sunt ordinata per quoddam systema, pari ratione etiam posteriora erunt ordinanda.

3. Nova tamen responsa triplici modo se habere possunt ad ordinationem prius factam.

Primo modo, non sunt nisi conclusiones ex priori ordinatione: scil. oritur nova quaestio cuius tamen solutio habetur per solam derivationis technicam ex terminis et propositionibus primitivis iam positis.

Altero modo, novae quaestioni non respondetur sufficienter ex ordinatione iam facta et per solam technicam derivationis; sed tamen ei responderi potest, si paulum evolvitur ordinatio iam facta,

scil. adduntur novi termini primitivi, novae propositiones primitivae, sive explicite, sive modo latente et tecto per additas distinctiones prius non factas.

Tertio modo, novae quaestioni non respondetur sufficienter sive ex ordinatione iam facta et per solam technicam derivationis sive per evolutionem quandam ordinationis iam factae

sed requiritur novus ~~ordinandi~~ modus qui essentialiter differt a modo superius exposito.

4. Quamdiu sufficit primus modus, non oritur quaestio methodologica; sufficit logica systematis.

Quam primum in secundum et praesertim in tertium modum transgreditur, oritur quaestio methodologica.

Quare, aliquid clarius et distinctius ponendum est circa distinctionem secundi modi a primo et tertii modi a secundo.

Agitur enim de existentia quaestionis methodologicae.

procedendi

De quaestionibus quae ex doctrinae NT oriuntur.

1. Quod de facto ortae sunt quaestiones, dubitari non potest.
 - a) Conflictus cum Iudaeis orthodoxis: S. Paulus et iudaizantes; primum quod dicitur concilium Hierosolymitanum
 - b) Conflictus cum Iudaeis heterodoxis: Daniélou, Le judéo-christianisme, La théologie du., Paris 1959
Ebionitae, Elkaisitae, Cerinthus, Gnosticismus samaritanus
 - c) Gnosticismus, Montanismus, Patripassianismus, Adoptionismus, Sabellianismus
 - d) Arianism, Semi-ariani, conservatores exaggerati; Pelagiani; Nestoriani; Monophysitae; Monothelitae; schisma ecclesiae orientalis
 - e) Reformatio, rationalismus, liberalismus, modernismus, &c.
2. Quod ortae sunt quaestiones ex ipsa natura doctrinae NT
 - a) Secus superfluisset ecclesia docens, magisterium infallibile; erronea fuisset dogmatum evolutio; aberratio fuisset omnia theologia
 - b) Qui aliter opinantur, intrinsicam idearum historicitatem non capiunt
Ex intelligentia, procedit verbum; quo perfectior est intelligentia, eo accuratiora sunt verba; et intelligentia augetur decursu saeculorum, scdm Vaticanum DB 1800
Formae Platonicae non sunt reales; species non sunt fixae.
 - c) Doctrina NT exprimitur terminis qui intra ipsum NT evolvuntur atque perficiuntur.
Acts 2; 1 et 2 Cor; Phil et Col; Hebr 1; John 1.
 - d) ipsa haec evolutio fiebat intra culturam non solum antiquam sed etiam particularem;
fiebat scdm separationem a notionibus illi culturae alte fixis: novum vinum vetera utera explodebat.
 - e) e contra, ipsa doctrina est universalistica: docete omnes gentes... ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi
 - f) ipsa doctrina est summi momenti: margarita maxima pretii; qui non crederit condemnabitur
 - g) ipsa doctrina est radicalis et comprehensiva: non iam sibi vivant sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit 2 Cor 5 15
 - g) Doctrina universalistica, summi momenti, radicalis et comprehensiva, si intra limites culturae particularis atque antiquissimae exponitur atque evolvitur, ex ipsa sua ratione est fons quidam perpetuus quaestionum.

Criterion ordinationis novae

1. In particulari, nullum est problema.
Habetur nova ordinatio, ubi habetur nova quaedam totalitas virtualis propositionum.

Et habetur nova totalitas virtualis ubi novi accedunt termini primitivi, ~~vel~~ novae propositiones primitivae, vel forte nova technica derivationis.

2. At generalis etiam est huius rei consideratio, si quidem

- a in omni actuali totalitate propositionum
- b adhibita technica derivationis (definitio, deductio)
- c distingui possunt termini ~~per~~ derivati et non derivati
- d et pariter propositiones derivatae et non derivatae

unde fieri possunt Collectiones sequentes

$\sum t$

e ex terminis non derivatis seu primitivis, mediante technica derivationis, formari possunt omnes termini possibili intra ordinationem, St.

$\sum q$

f ex collectione terminorum possibilium, St, formari potest collectio~~ne~~ propositionum possibilium, seu quaestionum, SQp.

$\sum r$

g et comparari potest totalitas virtualis quaestionum, SQp, cum virtuali totalitate systematis, SRp, scil. propositionum primitivarum unax cum propositionibus derivatis mediante technica derivationis eaque sola.

unde distingui possunt

h systemata clausa in quibus $SRp = SQp$ $\sum q = \sum r$

i systemata aperta in quibus $SRp < SQp$ $\sum q > \sum r$

3. Unde inter logicos recentiores investigantur systemata secundum quod sunt clausa vel aperta (secundum quod solvere possunt problema decisionis necne). Inter quos constat:

a/
definitionis
per constructionem
per deductionem

a calculum propositionum esse clausam
b calculum functionalem secundi vel altioris ordinis esse apertum

W. Kneppel, Bibliographische Einführung
A.N. Prior, Formal Logic OUP

c arithmetica (si includitur theorema de factoribus, et similia quaedam) aut esse contradictoria aut aperta modo non adhibeantur operationes logicae infinites repetitae
d existere seriem theorematum typi Godel

J. Ladrière, Les limitations internes des formalismes. Louvain, 1957.

unde concedendum videtur systema aut esse triviale aut apertum

unde Wang concipit mathesin tanquam seriem apertam systematum apertorum. Vide apud Ladriere.

habetur talem seriem non systematum quorum unus invenitur in altero systemate (inductio) 1957
unus unus invenitur in altero

Momentum praecedentis considerationis generalis pro scholasticis.

Generatim scholastici non explicite ponunt ordinationem logicam, sicut quodammodo fecerunt Euclides, Spinoza, et accurate tantummodo mathematici recentiores.

Apud eos systema logicum est aliquid implicitum, potentiale, quod fieri posset sed non fit.

Unde I. Bochenski opinatus est Summa^m theologiae S. Thomae formalizari posse ~~sixfax~~ intra duo vel tria saecula si formaretur commissio quaedam permanens specialistarum in hunc finem.

Ubi deest completa enumeratio terminorum primitivorum et exacta determinatio technicae derivationis terminorum

Ubi deest completa enumeratio propositionum primitivarum et exacta determinatio technicae derivationis propositionum vix determinatur exacte quandonam ex alia ordinatione logica in aliam transeat.

Admittunt scholastici omnes principium medixmi exclusi (EpNp), non tamen rigide sicut inter logicos recentiores, sed per modum cuiusdem idealis ~~unde~~

~~ut~~ valet principium

sed semper fieri potest conveniens distinctio si occurrit neque requiritur ut conveniens distinctio praecontineatur in terminis primitivis complete enumeratis, cum desit talis enumeratio.

Unde facillime sed modo latente et tecto fieri potest transitus ex alia in aliam ordinationem.

Factum quaestionum disputatarum, quae quidem per saecula iam sunt disputatae, neque finis et fructus praevidetur, indicat inter scholasticos non sine utilitate fieri posse seriam considerationem quaestionis, utrum habeant systemata aperta, quid per talia systemata determinari possit, quid per talia systemata determinari non possit.

Magis fundamentaliter quaeri potest utrum re vera methodus scholastica sit ad normas ordinationis logicae (quod equidem negarem)

~~quod sit non est, extirpanda videtur illusio quod methodus scholastica consistit in demonstrationibus logice necessariis ex principiis per se notis.~~

si re vera est ad normas talis ordinationis, debent scholastici suas doctrinas formalizare, et problemata talis formalizationis acceptare

si re vera non est ad normas talis ordinationis, debent scholastici clarius determinare ad quasnam normas procedant, et quid ex t ali modo procedendi haberi possit, quid autem ex tali modo procedendi haberi non possit.

His rebus, vestrae considerationi hanc quaestionem propono.
an esset in scholasticis complexus methodicus
an modus procedendi per quaestiones et modus procedendi
per ordinationem logicam inter se clarissime distinguantur an forte confundantur

Problema fundamenti.

1. Problema fundamenti potest esse particulare vel generale.

Particulare est ubi quaeritur fundamentum huius particularis ordinationis factae a tali viro, tali tempore, in tali ambiente, sub influxu talium quaestionum, talium auctorum, Etc.

Problema generale ponitur quando quaeritur de transitu ex qualibet particulari ordinatione in aliam.

2. Existit problema generale: quia semper oriuntur ~~x~~ novae quaestiones; nec quisquam potest anticipare virtualiter solutionem omnium quaestionum usque ad diem iudicii; si posset, nullum iam erit verum augmentum sapientiae et intelligentiae in ecclesia; et superfluit oratio concilii Vaticani.

*ere

3. Idem problema generale proponi potest diversimode.

Primo modo, sit ordinatio accepta, O, et sit novum problema, P, quod non solvitur per solam technicam derivationis ex suppositis ~~xx~~ ordinationis, ~~Q~~ O.

Sint multae solutiones, evolutiones alternativae, ut O fiat vel O₁, vel O₂, vel O₃,...

Quaeritur in genere quibusnam criteriis eligitur una evolutio possibilis prae aliis.

Quaecumque sunt criteria, non potest criterion esse applicatio technicae derivationis ex O; quia O non solvit problema.

Quare oritur problema novi ordinis, methodologicum.

Altero modo, tota historia praeterita atque futura concipi potest tamquam successio ordinationum

Sit successio quaedam cui nomen philosophia perennis

Sint aliae successiones quae etiam sibi idem nomen vindicant

Sit successio quaedam cui nomen solida doctrina catholica

Sint aliae successiones quae sibi idem nomen vindicant

Iam vero eiusmodi successiones non sunt nisi problema transitus multipliciter repetitum.

Quaeritur ergo de criteriis praeferendi unam scholam prae alia.

Quaeritur ulterius cur sint praeter perennem philosophiam, praeter solidam theologiam, tot aliae orthodoxas et etiam heberodoxas.

Quae quidem quaestio non solvitur ~~per~~ per deductionem ~~ex propositionibus primitivis~~ ex propositionibus primitivis: nam propositiones primitivae aut coincidunt cum primitivis alicuius scholae aut non; si coincidunt, praesupponitur solutio quaestionis; si non coincidunt, introducitur nova schola ut problema adeo non solvatur sed potius augeatur.

et ideo ex O
non concludi
possunt praemissa
significatis in sua
deductioe scilicet Q

Problema historicitatis

*un

1. Superius dixi vim explicativam, scientificam, haberi in quantum ordinatio logica eiusdem systematis est multiplex; magis particulariter, in quantum distinguuntur via analytica et via synthetica; sed iam notandum est hanc viam explicativam non per se solam esse sufficientem.

2. C Gent passim: Hinc est quod dicitur... Sed distingui oportet inter textum prout eius sensus determinatur ex constructione explicativa totius C Gent et eundem textum secundum mentem auctoris inspirati. En problema historicitatis: quinam sit nexus inter primum et alterum Si est simpliciter saltus, tunc quando proceditur ex SScr vel ex PP ad fundamentum theologiae systematicae, iterum fieri debet saltus in directione tamen opposita; quod est inconveniens, quia tollit fundamentum scripturisticum.

Iterum, I, qq 27-43, incipiunt ex conclusione Augustini de analogia psychologica et terminantur ad missiones sed ad missiones systematice conceptas neque sic concipiebantur a primaevis Christianis quamvis forte ipse S Paulus per scientiam infusam eas ita concipere potuit, quin tamen ullum signum talis conceptionis manifestavit. *habitu vel saltu vel processu - saltu vel processu - processu non ut dicitur*

3. Quod problema est notissimum: renaissance, studia textualia, historica, biblica, historiae litterarum, historiae religionum, historiae dogmatum, historiae theologiae. Totum ponitur sub rubrica theologiae positivae, quae fit non modo scholastico sed scientificae (uti theol posit dicunt) Scatet subdivisionibus et subsubdivis, pro singulis auctoribus utriusque testamenti, pro singulis fere patribus, conciliis et sessionibus conciliorum, pro aetatibus theologorum minorum, pro singulis fere operibus theologorum maiorum. In dies multiplicatur litteratura, ut ne specialista quidem partem suam legere et serio iudicare potest.

Attamen agitur de ipsis fundamentis theologiae systematicae, dogmaticae; sine fundamento methodologico valido, facillime abit in placita positivistarum, relativistarum: Videant dogmatici

4. En problema methodologicum: non solvitur per solam technicam derivationis ex propositionibus primitivis; [hanc ob causam theologia positiva est disciplina fere separata et independens quod dogmatici, philosophi, non satis attendunt ad problema non logicum sed methodologicum.] *quod dicitur potest historia contingens*

*Visi integrantes Theologiae systematicae et positivae
systematica caret fundamento
positiva caret a directione. Forma, fine. ^{plus} fuit specialiter: omnis conditio possibilis ^{non}
reparabilis, conditio opposita*

Problema Khasmatis.

Le 16, 2⁶: inter nos et vos magnum chaos firmatum est, ut hi qui hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.

1. Hoc problema notissimum est.

Athanasius, de decr Nic syn, per modum exceptionis omnino lamentatae, defendit usum vocis non-scripturisticae in formula fidei, quia secus Arianismus non efficaciter excluderetur.

Severus Antiochenus, impugnavit concilium Chalcedonense quia usurpavit vocem, phusis, alio sensu quam in PP receptus erat.

Theologia mediaevalis quae systematicam omnium qm solutionem quaerebat, multas et alias novas categorias introduxit.

Controversia Augustiniana-Aristotelica radicitus erat de usu categoriarum (non logicarum sed scientificarum et philosophicarum) Aristotelis

~~Reflexio~~

Devotio moderna parum laudabat definitiones et disputationes:

Imitatio Xti: melius sentire quam definire compunctionem; melius adorare quam disputare de Trinitate.

Reformatio praedicabat reditum ad puram fidem evangelicam.

Baianistae et Iansenistae praedicabant reditum ad Augustinum.

Theologia ascetica, mystica, moralis, pastoralis, liturgica, kerugmatica, personalistica, paullum existentialistica

separantur a dogmatica ut indigentis fidelium occurrant

imo et quaeri potest quinam sit nexus in ipso theologo

speculativo inter opera sua erudita et subtilia et orationem suam personalem ad Deum personalem.

2. Iam vero respondendo quaestionibus oriuntur seriationes quaestionum

unde exigitur ordinatio quaestionum saltem logica (ne fiant repetitiones sine fine) cohaerens, cum sensu reali, et cum valore explicativo (iam habetur tota summa S. Thomae)

quibus introducuntur novi termini technici logici, metaphysici, scientifici; eorumque extensio ad ordinem supernaturalem mysteriorum;

sed ordinationes multiplicantur; additur novum problema fundamenti generalis, et immensum problema historicitatis;

maxima quaedam super-structura intellectualistica habetur, sed re vera cui bono?

3. Problema ergo khasmatis iacet inter simplex evangelium et semper eruditorem theologiam;

quemadmodum inter se uniri possint, ut perspicui possit nexus realis, concretus, inter haec tria: evangelium, theologiam, et hominem particularem parum intellectualisticum.

quod problema non solvitur applicando technicam derivationis ex propositionibus primitivis; ideoque methodologicum est.

Leton
assumptum
Pis
habetur
de

missiologia!

Versus solutionem problematum: gressus initialis.

1. Primo considerandum esse videtur in quonam rerum genere ponatur fundamentum.

Utrum sit in nominibus et verbis et propositionibus.

Utrum forte altius ascendendum sit in conceptus ipsi menti internos et in iudicia in mente elicita. (interdum cum componantur problemata)

Utrum denique remotius est inquirendum in ipsum intellectum, in habitus intellectuales speculativos eorumque actus, nempe, scientiae, intelligentiae, sapientiae.

2. Quid sibi velit hoc tertium.

Scientia consideratur dupliciter: in fieri est processus ex principiis in ~~conclusiones~~ conclusiones; in facto esse, est intelligentia conclusionum in principiis, ut per modum unius apprehendantur tam conclusiones quam principia.

Intelligentia consideratur dupliciter: consequenter, in terminis perspicit principia; antecedenter, in ipsis sensibilibus perspicit intelligibilem unitatem vel relationem (obiectum proprium intellectus nostri hac in vita) unde concipit tam nexus quam terminos et, augente intelligentia, iocrea concipit nexus latiores subtiliores et terminos accuratiores distincti

Sapientia est principium ordinis et iudicii, ultimum nobis immanens. Unde

- a) est principium iudicii de ipsis primis terminis in una quaque disciplina, quoniam sint et quonam sensu sint adhibendi; eg multipliciter concipitur ens (Parm Plat Ar Plot Avic Aq Scot Hegel)
- b) est principium iudicii de intelligentia utrum apprehensa intelligibilitas sit necessaria an contingens (empirica) et, si contingens est, utrum de facto sit vera an falsa
- c) est principium iudicii de ratiociniis, utrum unum sufficiat an requirantur multa, utrum multa sint expetenda ex unico quodam fonte an forte ex multis et diversis simul fontibus, utrum multa argumenta in unum quoddam formandum coalescant, utrum generent probabilitatem an ad certitudinem pertingant
- d) est principium iudicii de ordinatione, quodupliciter eadem propositionum ~~est~~ totalitas ordinari possit, quosnam in fines diversae ordinationes sint aptiores, quoniam finis hic et nunc maiori attentione indigeat, quandonam vetus ordinatio plus vel minus corrigenda, amplificanda videatur

3. Comparantur diversa fundamentorum genera.

a) Sufficit primum genus, modo (1) quaestio non ponatur nisi iis qui de primitivis terminis et propositionibus consentiant, (2) et ipsi cur consentiant non inquirent, et (3) nulla ponatur quaestio nisi ea quae intra systema suppositum solvi possit.

Sed nulla est collectio terminorum et propositionum de quibus nemo prorsus dubitat

Et etiam ii qui non dubitant non rationaliter sine ratione assentiant

Et semper novae oriuntur quaestiones.

b) Sufficit alterum genus, donec inveniatur ipsos primos terminos multipliciter concipi posse
triangulus: absolute apud Euclidem = hodie Euclidianus
ens: Parm., Plato, Ar., Avicenna, Aq., Scot., Ma Caiet., Hegel
cf Sum. theol., I-II, q. 66, a. 5, ad 4m.

Sufficit, donec ponantur quaestiones, non de nexibus necessariis, sed tamen intelligibilibus et de facto veris leges scientificae empiricae; postulata math (parallelarum) convenientia apud Aq = voluntarismus apud Scotum
omnis intelligibilitas historica
omnis intelligibilitas hominis concreti existentis ^{quae} _{sentia}

Sufficit donec fiant argumenta multa ex diversis fontibus quae tamen in unum quoddam coalescant

Sufficit donec quaeratur de iis quae intra systema determinari non possunt

Sufficit donec quaeratur de problemate transitus ex uno systemate in aliud, de problemate multarum scholarum, etc.

c) Sufficit tertium genus, ubi sufficit primum vel alterum. Intellectus enim est principium scientiae, intelligentiae, sapientiae; quae sunt principia conceptuum et iudiciorum; quae sunt principia terminorum et propositionum.

Sufficit tertium genus ubi deficit primum vel alterum: progredientie intelligentia: perficiuntur conceptus, principia progrediente sapientia: perficiuntur ordinationes

Praeterea, ipsa intelligentia tam est de concretis quam de abstractis, tam de empiricis quam de necessariis intelligibilibus

Praeterea, ipse intellectus est in nobis ultimum in quod caetera reducuntur, cui ita concipiamus, iudicemus, ordinemus.

Sed forte dicendum est, non 'sufficit' sed 'sufficeret'
Si enim dicitur 'sufficit', supponitur homines habere sapientiam: quod valde dubium est. Uti enim perpetuo repetebat Aquinas 'Stultorum numerus est infinitus'

4. De possibilitate tertii fundamenti, nempe, sapientialis.

a) Non enim nascimur sapientes: initio enim intellectus humanus est sicut tabula rasa in qua nihil est scriptum

Neque naturali quadam necessitate fimus sapientes: quod enim naturali necessitate fit, semper fit vel saltem fit in pluribus. Sed sapientia reputatur non in maiori hominum parte inveniri sed potius in minori, imo in minima.

Neque consilio et voluntate possumus nos reddere sapientes. Si enim iam sumus sapientes, superfluum illud consilium illaque voluntas. Sin autem non dum sapientes invenimur, sumus insipientes ut longe probabilius illud consilium etiam sit insipiens et consequens voluntas vana.

b) Praeterea, fundamentum ~~per~~ praeiacere debet, ut caeterum opus supra fundamentum construatur.

Sed sapientia non praeiacet. Ergo non est fundamentum.

Maior videtur evidens. Minor facile probatur, tum ex antecessis [4, a], tum ex analysi

Nam illa sapientia quae ~~maxime~~ omnia ordinat et de omnibus iudicat non praehabetur inquisitioni sed potius est ultimus ~~per~~ fructus perfectissimus ex absoluta omni inquisitione gignendus.

Qui enim omnia ordinare potest, non omnia ignorat, neque maiorem rerum partem ignorat, neque vel minimam partem ignorat, sed omnia prorsus scire debet tum in se ipsis tum in singularum habitudinibus ad alias quaecumque res

Qui ita omnium ordinem scit, etiam de omnibus iudicare potest.

c) Praeterea, inutilis videtur recursus ad magna auctoritatis nomina: ut agnoscantur Aristoteles, Augustinus, Aquinas fuisse sapientissimi: ut ipsi dicamur eorum discipuli atque sequaces fidelissimi.

Nam si ipsi sumus sapientes, superfluum auctoritates.

Sin autem insipientes sumus, certo certius male intelligemus et male interpretemur et Aristotelem et Augustinum et Aquinatem.

Quod factis constat, cum tot tamque diversae sunt scholae aristotelicae, augustinianae, thomisticae.

d) Praeterea, insufficiens videtur effugium quod in nomine philosophiae praebetur, nempe, nos quamvis nondum simus sapientes, tamen sapientiam diligimus et ad eam habendam totis viribus incumbimus.

Nam aut habetur sapientia aut non habetur.

Si habetur, recte diligitur.

Si non habetur, falsa quaedam sapientiae species probabilius diligitur et in eam acquirendam totis viribus incumbitur.

e) Praeterea, uti argumentis constat, ~~f~~ vanum est fundamentum in sapientia positum; ideoque ad sapientiam confugere nihil aliud est quam specioso quodam nomine relativismum tecte et latenter introducere.

Sed relativismus certo est condemnatus.

Ergo redeundum est ad alterum vel primum fundamentum, et quantum ad probelmata (quae sic solvi non possunt) simpliciter dicendum est nos in multis ignorantia contentos esse debere.

Altiora te ne quaesieris, uti docent tam SScr quam Horatius.

5. De possibilitate tertii fundamenti, responsum partiale.

Responsum. In primis notandum est quod de vero problemate et non de ficto agitur, ideoque responsum adaequatum brevi expositione dari non potest. Cf. Insight.

Primum responsi elementum respicit modum quo augetur scientia humana. Illud enim augmentum non mera additione fit, ut antequam fiat quid sit processus ignoretur. Sed principaliter fit dividendo aliquod totum quodammodo praeiacens.

Quod enim primum in intellectus apprehensione cadit, est ens, quod omnia dicit, omniaque in se concludit. Quae deinceps cognitione adduntur, non extra ens iacent ut ei addi possint, sed intra ens inveniuntur et per entis divisionem cognoscuntur.

praeterea, haec entis divisio semper completa esse potest, nam per contradictorias differentias arbor quaedam Porphyriana erigi potest, ut ens dividatur in immateriale et materiale, materiale dividatur in non-vivens et vivens, ~~et~~ vivens dividatur in sentiens et non sentiens, sentiens dividatur in rationale et non rationale, et ita porro.

Quibus perspectis, elucet homini semper adesse posse quandam totius entis apprehensionem eamque ordinatam atque suo modo permanentem atque immutabilem.

Quo concesso, etiam concedendum est homini semper adesse posse minimam quandam sapientiam quae modo quodam universaliori omnia ordinat et de omnibus ita generaliter conceptis iudicare potest.

Quo posito, ulterius concedendum est sapientiam eo ~~ma~~ modo augeri posse per divisionem entis eiusque ordinationem, ut quod recentius addatur non prius habitum destruat sed potius salvat atque ampliat.

Unde unusquisque pro modulo et mensura propriae sapientiae posse et quaedam satis ordinare atque iudicare et maiori indigere sapientia ~~et~~ antequam alia ordinare et iudicare audeat: unde simul salvantur et ~~et~~ certitudines vitae humanae necessariae et modestia illa intellectualis non minus necessaria quae inflationi vanae et perniciosae oponitur (1 Cor 8 1).

Quod tamen responsum, de praesenti sufficiens, non simpliciter sufficiens est.

Valor enim divisionis per dichotomiam non solum in valore principii contradictionis fundatur sed etiam in valore differentiae quae seligitur et cui principium contradictionis applicatur.

Aequè bene divideretur ens per dichotomiam in entia quae (1) ~~habent et alas et pedes vel non habent utrasque vel habent pedes sed non alas vel habent duos pedes vel duos &c~~ habent tam alas quam pedes, vel (2) neutras habent, vel (3) habent pedes sed non alas, vel (4) habent alas sed non pedes.

Unde, distinguendum est inter differentias classificatorias (uti in botania) et explicativas (uti in physica, chimia, &c); et ulterius determinandum est quid permanens et quid fluens in explicatione scientifica inveniatur. De quibus omnibus, cf. Insight.

*) Quaesitio: quid mutabile in scientia positivae? quid permanent?

*) Quaesitio: de ente: multi conceptus: *multae analyses reflexae e una tamen natura interioris* Insight XII
*) Quaesitio: quid scientia? *quae in omni loquente scribente implicata est*
scilicet per se esse veritate
scilicet ab omni tunc tunc dicitur

6. De possibilitate tertii fundamenti, solvuntur obiectiones.

a) Conceditur nos non nasci sapientes sed fieri, neque naturali necessitate fieri sapientes.

E contra, asseritur nos naturali inclinatione et tendentia in sapientiam acquirendam moveri; quae inclinatio atque tendentia per consilium et voluntatem confirmari atque adiuvari potest.

Et ad rationem additam, negatur suppositum; nempe, dicimus sapientiam in indivisibili non stare, ideoque non valere disinctionem nos aut sapientes esse aut insipientes. Possumus enim parvam quamdam sapientiam habere quae ad maiorem habendam (modo adest humilitas ~~et~~ et modestia [sedulo pie sobrie quaerat]) nos praeparat~~et~~ atque iuvat.

b) Fundamentum praeiacere debet ~~et~~ secundum modum fundamenti.

Si fundamentum ponitur in primitivis terminis et propositionibus, praeiacere debent haec primitiva

Si fundamentum ponitur in conceptibus et iudiciis unde caetera certo concluduntur, praeiacere debent hi conceptus haecque iudicia.

Si fundamentum ponitur in intellectu in quo pedetentim augentur intelligentia, scientia, sapientia, praeiacere debet talis intellectus.

Proinde ad rationem additam dicendum est unumquemque pro modulo et mensura suae ~~et~~ sapientiae omnia ordinare atque iudicare posse, et pro defectu suae sapientiae modeste et humiliter ab ordinando et iudicando abstinere debere.

Quod in vita humana clarissime perspicitur.

Pueri septennes ad aetatem rationis pervenisse dicuntur, quia ante omnia satis ordinata non habuerunt ut de bono et malo, de voluntario et involuntario, de libero et spontaneo iudicare potuerint.

Adolescentes ab Aristotele inepti ad rem ethicam examinandam iudicabantur, quia iis defuit illa experientiae extensio atque varietas, quae ad actus humanos virtutesque et vitia ordinandos et iudicandos requiritur.

In singulis rebus maximi aestimatur iudicium illius qui in illo rerum genere et scientia eminet et experientia ipsa eruditus invenitur.

Denique tandem experimur omnes in nova materia addiscenda, neque statim ab initio nos eam satis ordinare et iudicare posse, et tamen in eadem materia ordinanda et iudicanda gradatim proficere, ut denique tandem et ipsi professores et doctores esse possimus.

c) Quantum ad maxima auctoritatis nomina invocanda, dicendum est non ibi haberi ~~et~~ remedium efficax contra omnimodam stultitiam:

non ideo enim quis ^aestimandus est sapientiae aristotelicae ^caugustinianae thomisticae particeps qui litteras graecas vel latinis legere potest

neque ideo quia magna quadam diligentia multa loca ex istis auctoribus in unum collexit & suas conclusiones inde deduxit neque ideo quia ab iis auctoribus quaerit quod ipsi minime tractaverunt [Le scoutisme d'après S. Thomas d'Aquin]

Sed nullum est remedium efficax contra insipientiam

Abusus ~~et~~ tamen non tollit usum: maximi pretii esse iudico verum et ~~et~~ constantem et diuturnum nixum quo quis pedetentim progreditur ad Aristotelis sapientiam, Augustini, Aquinatis quodammodo participandam.

6. De possibilitate, con'd, solvuntur obiectiones

d) Obiectio contra nomen philosophiae ideo non valet quia disiunctionem facit inter insipientiam perfectam et sapientiam perfectissimam: dantur positiones intermediae, in quibus homines omnes invenimur

quae intermediae positiones, cum aliquantulam sapientiam includant, a scepticismo nos salvant

et cum a perfecta sapientia deficient, ab inflata et absurda mentis superbia nos retinent

e) Relativismus non consistit in eo quod negatur omnes homines omnis temporis esse sapientes sapientia quadam divina.

E contra, confugere ad deductivismum sive propositionalem sive conceptualisticum nihil est aliud quam

res prout de facto sunt derelinquere problemata quae urgent negligere

in turrim quamdam eburneam illusionibus fundatam confugere scilicet in universalia et necessaria, ubi quaeritur undique de concretis, de historicis, de socialibus, de individualibus individualibus, de empirice intelligibilibus et veris

f) Posuimus quaestionem de possibilitate per modum expositionis responsi.

Attamen quando vere dubitatur, sic non est procedendum.

Nam ex esse ad posse valet illatio

Ex esse cognitionis concludi possumus quemadmodum exacte cognitio fieri possit.

Sed ubi deest cognitio, deest fundamentum unde perspici possit quemadmodum talis cognitio sit possibilis.

Aliis verbis, circa cognitionem, longe difficilius est scire ipsam scientiae possibilitatem quam scire ipsam scientiam

et qui prius de possibilitate scientiae quaerit quam ipsam scientiam, viam parat latam et planam ad scepticismum.

Intrate ergo semper per portam angustam

Problema kiasmatis: gressus initialis.

1. Simplici fideli, qua fideli et simplici, competit simplex fides

Sed etiam simplex fidelis est homo, naturaliter intellectu praeditus, ad quaestiones suas ponendas naturaliter motus.

Cui qua tali competit intelligentia fidei, scdm illud SS Augustini et Anselmi, 'Crede ut intelligas.' *pie sedulo solvitur*

2. Quod problema acuitatem quamdam specialem nostris temporibus habet,

ubi educatio quaedam est universalis et obligatoria

ubi educatio productior est valde communis

ubi multiplicantur libri stylo populari conscripti ad notitiam mathematicam et scientificam divulgandam.

*societatem
historicam
culturalem*

3. Cuius problematis solutio duo requirit.

Ut ipsi theologi scientificam suam fidei intelligentiam intendant atque acquirant.

Ut hanc scientificam fidei intelligentiam ad usum hominum secundum diversos gradus culturae adaptare possint.

4. Ad primum requiritur ut agnoscatur in tractatu theologiae punctum inflexionis

scil., reici oportet illam aberrationem quae theologiam semper remotiorem a fontibus revelatis facit neque ullum tentare vult reditum ex conclusibilibus in ipsos fontes intelligendos.

5. Ad alterum requiritur ut eliminetur khasma inter intellectum et sensum

scil., intellectus occupatur unice de universalibus et necessariis; praetermittitur simpliciter intelligentia quae habetur in ipsis sensibilibus; praetermittitur multiplex ille influxus mutuus quo sensus et intellectus sponte et natura cooperantur et unam conscientiam humanam tam sensibilem quam intellectualem formant

quare, evolvi debet ~~psychologia~~ psychologia 'spiritus incarnati';
theoria artis pictoriae, plasticae, musicae, litterariae;
theoria mentis primitivae, mythicae, popularis, semi-educatae
quae eodem omnia cum theologia integrari debent ~~(Xtologia sacra
quod multum simul confert ad aspectum historicum theologiae
Xtologia, gratia, ascetica et mystica, moralis et
pastoralis, liturgica, personalistica, existentialistica,
ecclesiologia~~

quod multum simul confert ad problema historicitatis solvendum.

*St Marcel
Richardson
A. in Weillens*

Problema historicitatis: gressus initialis.

1. Ideae Platonicae tempore non evolvuntur neque perficiuntur.

Conceptus humani, sub aspectu logico, sunt aeterni et immutabiles: id quod intenditur qua tale semper est idem; eg triangulus in spatio Euclidiano est univocus.

Sed ipsa humana intentio non semper fit, neque semper fit eodem modo.

Non semper fit, quia non semper intendimus in unumquodque

Non semper fit eodem modo, nam conceptus procedit de actu intelligendi, et ideo, quotiescumque perficitur vel augetur intelligentia, diversificatur conceptus
olim

Quare quod ponebatur de triangulo universaliter, nunc etiam dicitur, non tamen universaliter, sed tantummodo de triangulo in spatio Euclidiano.

Quod si movetur geometria, multo magis caetera.

2. Radicitus evitatur omne problema historicitatis si supponitur conceptus non ~~ex~~ procedere ex actibus intelligendi sed, mediante quadam mechanismo metaphysico, fixo et immutabili, immediate ex ipsis rebus quae non mutantur.

Radicitus evitato omni possibili problemate historicitatis, facilius solvuntur problemata epistemologica, et tutius evitatur omnis vel species relativismi.

Sed falsitas neque vere prodest neque simpliciter prodest: negligi debet omne serium studium fontium revelatorum et traditionis catholicae

negligi debet omne serium fundamentum theologiae systematicae in fontibus secundum sensum historicum fontium semper augebitur theologia positiva, et ~~et~~ semper ~~minuitur~~ minuetur influxus et aestimatio theologiae systematicae seu scholasticae.

semper audacius professores in materia positiva aperte in scholis dicent auditoribus quod id, quod in schola dogmatica assumitur tamquam fundamentum, aliud fundamentum non habet nisi crassam quandam ignorantiam.

3. Si factum historicitatis agnoscitur,

a debet agnosci vera criteriologia (valde complexa) in re exegetica, historica, non fiunt demonstrationes ex principis necessariis

agitur de intelligibilitate empirica (contingente sed vera) quae innobescit ex convergentia multorum indiciorum quae non probatur in decem momentis examinis sed breviter et schematicae indicatur

b extendi debet methodologia viae inventionis processus ex fontibus in thesin dogmaticam plus minus coincidit cum processu historico

non parvis velis
supponitur relativis alio
quod ab actibus intelligendi
et relativis non ut prodest
inquit 20/1/47

De unitate solutionis

Problema historicitatis

I Radicale α aequum sapientia intellectus rationis
 β necnon substitutiones propiciant
emphasi accuratius formali

II Tempori comparatue

α progressus insula atque regressus
 γ XIV erant logicae | \rightarrow septuaginta
reflexit intelligentiam

β | progressus in una campo | mechanismus mechanica
regressus in alio | a XVI - XX

non phenomenalis
conceptus / historicos
graece
sed principialis

γ studia fundamentalia distinguuntur
vallem principia instructivum

δ deducuntur singulis statibus metodi | Cogitandi
Elomus : myth :: Kant : Kant | principia
viuendi

Quae problema excluditur

- (A) si conceptus habentur non ex intelligentia rationis sed ex ipsis rebus
- (B) si nihil scientificum nisi quod necessitas includitur ex principis
necessariis, per se videtur, certis, a nulla hypothetis

Max capto ad sequentiam : qui vult cogi, manebit cum pauca
sua sapientia max ducatur ead. usque

De unitate solutionis

Problema Historicitatis

directus
oppositus

d procedente intellectu

plenus accuratus / precipiente nexus
formante conceptu

p ipse intellectus et se et potentia historiam cognoscit

se 'per se' ad 'conceptum'
historicum

Exclusio historicitatis

omittitur

plenus intellectus

plenus id est totus quod Ar. Reg. 14.

omittitur

eventus, quod historicum ab intellectu

impugnatur ad 'per se'

De unitate solutionis

1. Quoddam solutionis initium indicavimus circa triplex problema fundamenti, khasmatis, historicitatis.

At illud in primis notari oportet idem in tribus esse solutionis initium, nempe, intellectum humanum potentiale.

2. Quia enim potentialis est intellectus humanus, progreditur intelligentia, scientia, et sapientia.

Ex quo progressu repetita est solutio problematis fundamenti.

3. Quia humanus est hinc noster intellectus potentialis, cum vita sensitiva modo maxime intimo coniungitur.

Ex qua unione repetita est solutio problematis khasmatis.

4. Quia in intima unione cum vita sensitiva progreditur noster intellectus, modo historico progreditur,

scilicet sub conditionibus socialibus, culturalibus, secundum limitationes earundem conditionum, maxime secundum exigentias harum conditionum,

exteriores enim conditiones sociales et culturales sunt effectus quidam ipsius intellectus manifestantur tum verum quod ab intellectu perspicitur tum falsum in quod intellectus aberrat unde dialectica quaedam est interactio inter intellectum progredientem et conditiones culturales et sociales

et ideo ad intellectum sensu unitum et historico modo progredientem confugimus ut quaeramus solutionem problematis historicitatis.

5. Proinde notandum est hoc solutionis initium non esse nisi prolongationem quamdam et continuationem eius quod iam pridem ab Aristotelicis et Thomistis agnoscitur

nempe, intellectum humanum esse potentialem, progredi intelligentia, scientia, sapientia, quam intime cum vita sensitiva uniri, totam suam perfectionem hac in vita habere non posse, progredi ex magis universalibus in magis particularia,...

6. Unde intelligi quodammodo potest titulus: De intellectu et methodo.

Methodus enim ordinat media in finem; ubi finis est scientia non inventa sed invenienda, finis ignoratur; attamen in lumine intellectus agentis omnis scientia est nobis originaliter indita; et ideo ex ipso intellectu quaerenda est methodus, ordinatio mediorum in finem scientiae acquirendae.